THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

Entstehungsort unbestimmt, Mitte 15. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35425
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

pane et aqua contenta deinde ab om-
ni cibo et potu per triennium abstinuit.

De legista qui non communicauit.

Legiste cuidam cum in extremis of-
ferretur corpus christi et ut communicaret
a familiaribus amoneretur consuetis
uerbis respondit quod non communicaret. Et quamuis
amici dictarent et dicerent christianus
est qui non in morte communicauit bestia est
Tunc ille respondit: Appello. Et statim
a dyabolo suffocatus est et accipitur ad
inferos ubi mirabiliter appellacionem
prosecutus est. Militi profuit misse audicio

Miles quidam inclitus
et diues ad extrema ueniens
hora filium unicum adolescentem honestum-
que ad se vocari fecit. Et ei dixit
fili dilectissime. Ecce uado legibus
nature satisfacere et omnia mea tua
erunt. tibi tamen tria precipue ualde uti-
lia custodienda relinquo que ab infan-
cia mea totis uiribus custodiui.
Primum est ut deum ex toto corde diligas
et semper pre oculis habeas. Secundum est
est ut religiosis scolaribus presbiteris
et generaliter omni clero tamquam dei
ministris honorem et reuerenciam sic
deus exhibeas. Tercium est ut seruis
feminis nunquam detrahas. Immo de-
trahentes quantum in te est compescas.
Hijs dictis pater obijt. Et filius cuidam
principi adhesit qui eum propter discipli-
nam mores et seruicia que omnibus pla-
cuerat exaltare disposuit. Patris enim
preceptum quoad uixit fideliter obserua-
bat. Missas uero quandocumque sine horas
potuit ex toto audiuit. Domina insuper
principis uxor sincero et integro af-
fectu circa eum propter disciplinam et probita-
tem mouebatur. Quadam autem uice
cum domine sue predictus domicellus aquam
super manus funderet dulcius solito ei
arrisit et aquam de manibus iactando
in faciem eius sparsit. Quod uidens quidam
potens consiliarius principis qui ualde in-
uidebat adolescenti eumque apud
suum dominum accusauit et suspectum
reddidit de crimine adulterij. Credens
autem princeps eum in munere tamen propter
notam cum consiliarijs suis cepit tractare
de eius morte. Igitur consiliarius ille in-
uidus principi tale consilium dedit. Hac
nocte fornax incenditur ut cementum
decoquatur. Precipe igitur cementarijs
ut quicquid cras primo uenerit illud
confestim in fornacem cementi piciat
ut comburatur. Placuit consilium et ma-
ne facto princeps adolescentem ad ce-
mentarios qui eius uoluntatem sciebant
misit dicens. Vade et uide quid agatur. Qui
protinus equitauit. Et campanam in
quadam uilla extra uiam audiens ad
missam more solito properauit. Ad ecclesiam
igitur ueniens equum suum ad presepe li-
gauit. Sicque ut placuit deo mis-
sam auditurus intrauit. Cumque iam circa
horam terciam esset equus suus solutus
ad castrum principis properauit. Quem
uidentes ipsum combustum credentes hoc
suo domino narrauerunt. Tunc emulus
adolescentis Ille scilicet consiliarius qui
mortis sentenciam super eum sinistre dictauerat
ad locum fornacis uenit ut uideret
quid factum esset. Quem mox cementarij
comprehenderunt et in fornacem precipitauerunt.
O iustum iudicium dei ut incideret in
foueam quam fecerat ille ut tali capiatur
laqueo quo contra conscienciam insidiatur prox-
imo. Completo igitur diuino officio
adolescens cementarios adijt et benigne
ab eis susceptus rem gestam audit.
Qui deo de sua liberacione maximas
graciarum actiones retulit. Hec autem
omnia que acciderat princeps audiens
et fideli consideracione aduertens quantum fra-
at falsa suspicio quantum noceat in-
uidorum detractio et quantum ualeat
pia deuocio et misse audicio. Per ho-
nestos legatos ipsum accersiuit
eumque post se principem super omne
regnum suum fecit. Qui semper prospere
egit et preceptum sui patris bene conseruans
tandem consummato cursu feliciter quieuit.

Regi ... sub marcus pollice
qui sub marcus pollicem absci- abscidit